

beat à Papa iurisdictionem, & confirmatio-
nem approbationis per Episcopum factæ: id
q; in foro conscientie, quod non est contra
Concilium Tridentinum, & ideo non reuoca-
tur per illud: videatur ibi, nam multa & no-
tanda dicit, & præcipue in glossa.

14 ¶ Undecimum dubium est. An Ordinarij
Regularium Confessariorum approbationem
possint restringere ad certum locum, tempus
& personas? Doctor Henriquez. Tom. 1.
lib. 6. & 3. de Pœnitentiæ Sacramento cap.
6. num. 8. dicit. Sæcularis Sacerdos non
habet iurisdictionem extra villam aut oppi-
dam sibi expressè designatum. Sed si Episco-
pus ita regularem Sacerdotem Mendicantem
restringeret ad certum oppidum, & prohibe-
ret audire fœminas, aut moniales, dicunt vi-
ri docti, quod rationabiliter est interpretan-
dus, ita vt restrictio locum habeat quantum
ad iurisdictionem ab Episcopo delegatam,
quandoquidem non potest impedire, aut re-
stringere amplissimam iurisdictionem, quam
regularibus Mendicantibus, si modo sunt ab
Episcopo semel approbati, à Sede Apostoli-
ca habent: prout pro terra, & pro mari con-
cessit Gregorius. 13. Societati Iesu, anno Do-